Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift



ut in tercio die conprehenderent xpiani:
et compellerent ad sacrificandum. Paga-
ni aut et iudei adiungentes se militi-
bus acrius persequebant: et ex domibus et
speluncis cunctisque antris eiciebant
eos impellentes: usque quo ducerent
eos ubi erant populi congregati et sacri-
ficantes cum imperatore. Quidam
uero ex xpianis timentes tormenta et
mortem: inclinati ante populum immolabant
ydolis. Quod fideles audientes ge-
mebant uehementer: et lugebant animas
vero eorum. Inter huius modi acerbitates penarum
fideles ac firmi existebant uiri maxi-
mianus et malchus. martinianus et dio-
nisius. iohes et serapion. et constantinus.
Qui firmi in fide filii dei in his deprehendebant: portantes signaculum xpi
in corpore suo. Videntes aut tormenta
que fiebant xpianis: magis se in ui-
gilijs et ieiunijs atque oracionibus co-
artabant: et propensior cura erat eis
animas suas domino commendare. Et cum
hec secrete agerent: in palacio tamen
officij dignitatem portabant. et ita utrisque
partibus se aptabant. ut sine quere-
la redderent deo ea que dei sunt: et cesari
que sunt cesaris. Et hec omnia faciebant
propter imperatorem. eo quod essent offici-
ales et primi ac nobiles et ex senatu.
Tempore uero sacrificij aduenientes:
quando imperator et populi ueniebant ad
uictimas ydolorum. illi abscondebant
se in occultis et ingrediebant in domum
oracionis: et prosternentes capita sua
in terram. flebant et mittebant pulue-
rem super capita sua: et in oracionibus
et lacrimis ingemiscebant in conspectu
dei. Cumque hec per plurimum tempus age-
rent: peruenit sermo ad imperatorem

et coram optimatibus eius. Dehinc iam
socij eorum obseruabant eos in hora uic-
time: quando omnes compellebant ut sa-
crificarent idolis. Cumque in hora sacri-
ficij maximianus cum socijs deesset:
euntes quidam optimatum inuenerunt
totos vii pueros in uno cubiculo o-
rantes. Erant aut in terra prostrati. fa-
cies eorum et capita obtrita erant in terra.
et plena puluere terre. et erant plangentes
et commendantes animas suas in conspectu
dei. Hec uidentes satellites et inimici
ueritatis: ingressi ad imperatorem dixe-
runt ei. Auguste inuictissime in sem-
piternum uiue in decore imperij tui.
Tu ex longinquo colligis homines ad sa-
crificium deorum: et ecce primum tibi de-
spiciunt decretum tuum et preceptis tuis
non obediunt. sed consuetudinem xpianorum
assecuntur. et xpo sacrificant. Maxi-
mianus enim prefecti filius ipse fuit filius
imperij: et sex socij eius qui sunt primi ci-
uitatis: ipsi despiciunt regnum tuum
et decreta tua contemnunt. Hec audiens
imperator iratus est uehementer: et iussit
eos adduci in conspectu suo. Vt aut fu-
erunt adducti. erant oculi eorum lacri-
mis pleni: et puluis super capita eorum.
et erant orantes et deprecantes in conspec-
tu dei. Et dixit eis imperator. O fide-
les nostri: quare non permansistis in supplica-
cione et sacrificio deorum. in quibus omnis
mundus proficiat ab eis: cur non estis assi-
milati fortissimis primatibus socijs uestris.
Nunc ergo clementia nostra non pensans
puerilem intelligenciam uestram. indul-
genciam de preteritis tribuit. Modo ag-
gredimini et sacrificate sicut omnis
homo. karitate et deuocione quam debetis
dijs. Sanctus uero maximianus respondit.